



Christerus filius fuit Caroli Marchionis Badēfis ex Fridericiꝫ Cæſaris ſorore prognatus. hic optima indole præditus in magni nominis principem euasit, atqꝫ Friderico Cæſari auunculo ſuo, deinde etiã Maximiliano patrueli gratiſſimus fuit. Itaqꝫ cum Maximilianus ducatum Burgundię acquiſiuiſſet, hunc Chriſtopherum Lützelburgenſem gubernatorem cõſtituit, atqꝫ etiam eum ducatum certa pecunia oppignorauit. Eum Chriſtopherus ſuſcepit, atqꝫ contra Gallorum incurſiones fortiter defendit. Cum etiam unus fratrum Albertus in Flandria (cum Maximilianus caperetur) tormētũ iſtu ſuccubuiſſet, atqꝫ alter Fridericus Traiectenſis

præſul eſſet, ipſe patre defuncto ſolus paternam ditionē adiit, atqꝫ magna laude diu adminiſtrauit, præſertim dum Iacobo Kirſero Iurecõſulto uiro prudentiſſimo Cancellario uteretur. Erat eo tempore Philippus Marchio Hochburgēſis, Comes Nouēburgi ad lacum, & dominus in Rœtelen, qui & ipſe ſuum genus à Marchionibus Badenſibus longa auorum ſerie ducebat. dũ ante trecentos circiter annos Hermannus Badenſis & Hochburgēſis Marchio duos filios reliquiſſet, Hermannum Marchionum Badenſium, & Heinricum Marchionum Hochburgenſium authorem. Cum itaqꝫ Philippus præter unicam filiam maſculam prolem legitimum non haberet, contra uerò Chriſtopherus multa ſobole inſignis eſſet, uterqꝫ princeps literis conſectis conuenerunt, ut ſi contingeret alterum ſine maſcula prole uita fungi, quod alter aut eius liberi mares in regionũ adminiſtratione ſuccederent. Id quod etiam Maximilianus Cæſar ratum habuit.